



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

La
27
86



La 27.86



Harvard College Library


FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." Will, dated 1880.)

Received 21 Oct. 1893.





DE AMMIANI MARCELLINI STUDIIS
CICERONIANIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE IV. M. MAJI A. MDCCCLXXIV HORA XII

PUBLICICE DEPENDET

HUGO MICHAEL,

VRATISLAVIENSIS.

ADVERSARIJ ERUNT:


JOSEPHUS PARTSCH, DR. PHIL.

CAROLUS MITTELHAUS, DR. PHIL.

VRATISLAVIAE,

TYPIS GUILL. THEOPHIL. KORN.

La 27.86



Bonstantius fund.

MARTINO HERTZ

SACRUM.

789

Ammianum Marcellinum eximiae captasse famam doctrinae et reconditae in qualibet operis parte facile eo licet cognosci atque intelligi, quod non solum in digressionibus, quas justo saepius inserebat, sed etiam in continua rerum narratione exemplorum et dictorum undique arreptorum varietate quasi ornamentis historiam distinguere studebat. Itaque, si laude dignus quidem videtur, quod tempore, quo studia nulla aut exigua fuisse ipse testatur*), ingenio liberalium doctrinarum institutis excolendo operam dedit et sententiis ex veterum auctorum libris petitis aequalibus in mentem revocabat, quanta vis sit in antiquitatis monumentis ad informandos animos et expoliendos, quanta dulcedo ad delectandos, tamen quaerentibus nobis, quibus in scriptoribus imprimis Ammianus studia collocaverit, caute progrediendum est, quod fieri non potuit, quin, quo doctior videretur, libenter ex aliis eos exscriberet locos, in quibus aliorum scriptorum dicta laudantur.

Auctores, quorum sententiae vel dicta memorantur, hi sunt: Anaxagoras, Anaximander, Bacchylides, Caesar, Cato Censorius, Cicero, Democritus, Demosthenes, Didymus Chalcenterus, Epicurus, Eratosthenes, Euctemon, Gorgias, Hecataeus, Heraclitus, Hermapion, Herodotus, Hesiodus, Hipparchus, Homerus, Isocrates, Juba, Menander, Meton, Plato, Plautus, Ptolemaeus, Sallustius, Simonides, Terentius, Theognis, Thucydides, Timagenes, Tisias, Vergilius. Praeter eos auctores citantur: poëtae, theologi, philosophi, medici, Gallorum scriptores veteres, physici, geographi, scrutatores causarum intellegibilium, annales, monumenta

*) conferas, quae de moribus et studiis aequalium disserit XIV, 6. XXVIII, 4. XXX, 4.

vetera, antiquitas, Tagetici libri, Vegojici*), fulgurales, rituales, pontificii. Nemo est, quin intelligat Ammianum plerosque non ipsum inspexisse, de quibusdam fortasse nihil nisi nomina comperta habuisse. Nonnullos vero eorum, quorum locos laudavit, haud dubie perlegit et in ipso opere vestigia quaedam certa et manifesta deprehendi possunt.

Ac primum quidem valde delectatus est Homeri carminibus, quorum occasione oblata per totum opus plerumque ita facit mentionem, ut comparationem instituat: XVIII, 5, 7 secundum Homericos Phaeacas cum silentio admirantium; XIX, 1, 9 ut apud Trojam quondam super comite Thessali ducis exanimi acies Marte acerrimo conflixerunt; XXIV, 6, 9 inter acies spatium secundum Homericam dispositionem praestituit. (conf. XIV, 6, 21. XV, 8, 17. XIX, 4, 6. XXI, 14, 5. XXII, 15, 2. 16, 10. XXIII, 6, 53. XXIV, 6, 14. XXVII, 4, 3. XXVIII, 1, 54. XXIX, 2, 4.) Quibus locis licet nonnullos Ammianus non ex sua memoria, sed ex aliorum libris protulerit, satis mihi demonstrari videtur, quo studio Homerum perlegerit.

Ex ceteris Graecorum scriptoribus nullius saepius facit mentionem, ut ex locis ipsis, quibus memorati sunt, nihil colligi possit. Cum vero totiens**) Ammianus doctrinam lectis antiquis scriptoribus paratam laudaverit, jam conjectura consequi possumus eum etiam multos aliorum auctorum libros trivisse.

Libanius†) suo tempore ab adolescentibus legi solere narrat Homerum, Hesiodum, Demosthenem, Lysiam, Herodotum, Thucydidem. Quos omnes etiam Ammianum cognovisse etsi verisimile est, pro certo id tantum adfirmaverim eum praeter Homerum etiam Hesiodum, Herodotum, Thucydidem cura diligentiore perlegisse.

Ex scriptoribus latinis saepissime laudavit Tullii locos, de quo, cum postea fusius disputare nobis propositum sit, nunc reliquos perstringamus.

*) quod XVII, 10, 2 ex Vat. cod. lectione „vegonicis“ recte restituit Preller *Röm. Myth.*² p. 235. editores cum Gelenio scripserunt „Vejovis.“

**) XXX, 8, 2 subagreste ingenium nullis vetustatis lectionibus eruditum; XXIX, 2, 18 O praeclara informatio doctrinarum, . . . quae vel vitiosas naturas saepe excoluisti, quanta in illa caligine temporum correxisses . . . XIV, 6, 1. 18. XVI, 7, 5. XVIII, 6, 20.

†) ep. 956 ed. Wolfius Lips. 1711.

Vergilii loci quattuor sunt allati: XV, 9, 1. XIX, 9, 7. XVII, 4, 5. XXXI, 4, 6, ex quibus priores tales sunt, ut Ammianum poëtam ex memoria laudasse appareat. Quod cum satis ostendat ei Vergilium non incognitum fuisse, idem etiam affirmatur flosculis non paucis, quibus poëtam est imitatus.

De reliquis scriptoribus latinis Catonem ter: XIV, 6, 8 XV, 12, 4. XVI, 5, 2. Terentium XIV, 6, 16. Plautum XV, 13, 3. Sallustium XV, 12, 6. Caesarem XXIX, 2, 18. laudavit; quibus locis tam paucis, quamquam intellegi nequeat, quantum unumquemque cognoverit, tamen sermo Ammiani, qui colore quodam antiquitatis adpersus est verbis petitis ab ultimis temporibus jamque oblitteratis, ut conjiciamus nos impellit, eum delectatum esse nonnullis scriptoribus priorum temporum; cumque ipse afferat Plautum, Terentium, Catonem, verisimile videtur eum his quoque scriptoribus legendis operam navasse.

Cum Sallustio non paucis locis, quorum maximam partem Gailhausenus*) contulit, ita congruit, ut dubitari nequeat, quin diligentius eum perlegerit. Caesarem utrum tractaverit, necne in medio relinquo. N

Hactenus de scriptoribus, quos Ammianus ipse nominatim attulit. Quorum nullum cum post annum octingentesimum p. u. c. vixisse sciamus, Ammiani id potissimum interfuisse videtur, ut scirent lectores, ipsum antiquitatis haud esse ignarum. Fallitur vero, qui putat Ammianum nullos praeter hos cognovisse scriptores. Eorum enim, quos inprimis est imitatus, praeter Ciceronem neminem appellavit. Constat Ammianum Tacitum non solum cognovisse sed etiam ad imitandum sibi proposuisse**) nec paucis ejusdem flosculis orationem suam colorasse †; attamen ne uno quidem loco Taciti reddit mentionem.

Eundem studia collocasse in Livio legendo demonstratur verbis multis et sententiis, quas ab illo est mutuatus. Praeter hos Gellium ††) quoque L. A. Senecam, Valerium Maximum studiosè tractavit et quae eorum lectione didicit, operi suo inseruit. —

*) Conjectanea Ammiana p. 36.

**) Woelfflin in Pauly R. E. s. v. Ammianus.

†) Woelfflin in philologi vol. XXIX p. 537.

††) Teuffel *Œ.* 2 p. 970.

Satis sit eos attulisse scriptores, quorum vestigia primo quasi adspectu cuique Ammiani libros legenti apparent. In reliquos, quibus legendis operam navaverit, studio diligentiore erit inquirendum.*)

*) Hac parte jam absoluta in manus meas allata est dissertatio, quam Gardthausenus scripsit in ann. phil. a. 1873 suppl. vol. VI. pag. 509 sq. „Die geographischen Quellen Ammians.“ Liceat mihi hic addere, quae singulis locis antea objicere debebam. G. quamquam, quod sibi proposuit, summa cum diligentia et acumine absolvit, tamen mihi non satis fecit in eo, quod Ammiani ingenio et diligentiae minus tribuit, quam justum est. G. in eas solas digressiones inquisivit, quae ad situm terrarum et mores populorum pertinent, atque ab Ammiano ex aliorum haustae sunt libris. Ammianus vero is est, qui in unaquaque pagina a proposito defectit et ea, quae ex lectione scriptorum memoriae inhaerent, rerum gestarum inserit narrationi. Itaque cum dubitari non possit, quin in iis quoque partibus, quas adminiculo aliorum librorum adjunctus composuit multa de iis adjecerit, quae memoria tenebat, antea mihi considerandum videtur, quorum auctorum Ammianus habuerit tantam cognitionem, ut inde quaedam afferre posset, tum demum singularum partium fontes recte secerni dico. Quamquam igitur plurima, quae G. de fontibus geographicis eruit, jam in dubitationem vocari non possunt, alia tamen mihi falso esse dicta videntur. Putat enim G. (p. 550) Ammianum nec Livium nec Sallustium in manibus habuisse, sed ea tantum retulisse, quae ex fontibus, quibus in digressionibus usus esset, didicisset. Sallustium ipsum ab Ammiano esse perlectum jam opinatus est A. d. Gutschmid in censura libelli a G. scripti (Lit. Centralblatt 1873 p. 793) et demonstravit M. Hertz (ind. lectt. Vratislaviae aest. MDCCCLXXIV). Itaque restat, ut quod supra dixi, Ammianum in Livio legendo studia collocasse, nunc defendam. Si G. recte judicaret, loci similes Livianis in digressionibus solis nobis occurrerent. Sed cum per omnes libros ratio narrandi non raro Livium redolet, quin hunc ipsum in manibus habuerit, mihi non dubium est. Conferas tres locos, quos Ammianum de suo hausisse etiam G. concedet.

Liv. XXV, 18, 3 sed in bello nihil tam leve est, quod non magnum interdum rei momentum faciat. (adn. Gron. ad Amm. l. 1.)

Liv. XXX, 18, 6 sq. ni Mago . . . elephantos extemplo in proelium induxisset, ad quorum stridorem odoremque et aspectum perterriti equi . . .

Liv. XXVII, 49, 1 elephantii plures ab ipsis rectoribus, quam ab hoste interfecti. fabrice scalprum cum malleo habebant: id, ubi saevire beluae

Amm. XXIV, 4, 19 sed in districtis necessitatibus nihil tam leve est, quod non interdum etiam contra sperata rerum adferat momentaagnarum.

Amm. XXV, 1, 14, 15 elephantorum . . . ad quorum stridorem odoremque et insuetum aspectum magis equi terrebantur: quibus insidentes magistri manubriatos cultros dexteris manibus inligatos gestabant . . . et si ferociens animal vires exuperasset regentis, ne reversum per suos . . .

Inter eos scriptores, quibus maxime Ammianus est delectatus, nescio, an non primum locum teneat M. Tullius Cicero. Quod cum ex eo intelligitur, quod nullum ceterorum auctorum totiens laudavit, tum ex verbis, quae dictis vel sententiis a Cicerone petitis solet praefari: XV, 5, 23, „mirabamur illam sententiam Tullianam; XIX, 12, 18 imitandus sit Tullius; XXI, 1, 14 unde praeclare hoc quoque ut alia Tullius; XXI, 1, 2 Tullius testis reverendus; XXX, 8, 7 unde motum existimo Tullium praeclare pronuntiasse.“ Ciceroni primum locum concedit inter oratores XXX, 4, 7. ubi paucis verbis oratoribus perstrictis ita pergit: „post quos excellentissimus omnium Cicero orationis imperiosae fluminibus saepe depressos aliquos iudiciorum eripientis flammis, non defendi homines sine vituperatione fortasse posse, neglegenter defendi sine scelere non posse, firmabat.“ Similibus laudibus eum effert XXII, 16, 16, quo loco Didymum Chalcenterum, quem eminentissimum dicit inter viros Alexandriae studiis praestantes, tamen increpat, quod ausus sit Tullium vituperare, his verbis: „inter quos Chalcenterus eminuit Didymus, multiplicis scientiae copia memorabilis, qui in illis sex libris, ubi nonnunquam imperfecte Tullium reprehendit, sillographos imitatus scriptores maledicos, iudicio doctarum aurium incusatur ut immania frementem leonem putidulis vocibus canis catulus longius circumlatrans.“ Quanta diligentia Ammianus Ciceronis perlegerit et quantum fructum ex iis perceperit, nunc demonstrare mihi propositum est.

Omnes scriptores, in quibus legendis Ammianus versatus est, non ita tractabat, ut quasi sucum et sanguinem ejus pene-

ac ruere in suos coeperant magister inter aures positum ipso in articulo, quo jungitur capiti cervix, quanto maximo poterat adigebat. ea celerissima via mortis in tantae molis belua inventa erat, ubi regendi spem vicissent, primusque id Hasdrubal instituerat. (adn. Gron. ad Amm. l. l.)

Liv. XXIX, 3, 13 Afris gente ad omnem auram spei mobili atque infida. (adn. Vales. ad Amm. l. l.)

Ammiani igitur doctrinam, licet non tanta sit, quantam esse ipse nobis persuadere studuit, tamen multo pluris faciendum esse censeo, quam G. eam iudicavit.

conlisam sterneret plebem, vertebram, quae caput a cervice disternat, ictu maximo terebrabant. exploratum est enim aliquando ab Hasdrubale, Hannibalis fratre, ita citius hujus modi adimi beluarum.

Amm. XXXI, 2, 11 Hunni ad omnem auram incidentis spei novae perquam mobiles.

trarent, sed levitate quadam plurimos perlegens summa quaeque decernebat memoriaeque optima, qua sine dubio erat praeditus, mandabat. Itaque, quae ex variis auctorum libris undique aucupatus erat, occasione data vel arrepta proferebat, ut exquisitam suam ostentaret doctrinam. Neque minus id agebat, ut sermoni suo majorem adderet sonum; sed qui multo melius nobis satis fecisset, si ad exemplum Sallustiorum, Tulliorum, Liviorum narrationem formare studuisset, nihil aliud consecutus est, quam ut flosculis undique carptis ac delibatis orationem variaret. Locis ipsis, qui memorantur, plerisque optime ostenditur Ammianum non inspectis verbis ipsis scriptoris memoriter eos afferre; nam ut omittam, quae de Socrate*), de Zenone**), de Mopso†) legit lectaque confuse protulit, videas, quam falso memoria vacillans, quae de Damocle Dionysii tyranni adstantore legerat, omnibus convivis accidisse dicat XXIX, 2, 5.

Ubi vero Ammianus lectam sententiam attulit, quae verbis pluribus erat exprimenda, evolvit librum dictumque exscripsit.

Eodem modo locos Tullianos ab Ammiano allatos esse videmus: eas sententias, quae verbis pluribus continebantur, Ammianus ita protulit, ut libros ipsos Ciceronis inspectos exscriberet. Quamobrem ad verbum cum locis Ciceronianis congruunt aut tam leviter differunt, ut Ammiani neglegentiae id tribuendum esse appareat:

XIV, 2, 2 = p. Cluent. 25, 67.

XVI, 1, 5 = or. 42, 147††).

XXI, 1, 14 = de nat. d. II, 4, 12.

XXII, 7, 3. 4 = p. Arch. 11, 26 (conf. Tusc. I, 15, 34).

XXVII, 11, 4 = Phil. II, 12, 29.

XXVIII, 1, 40 = ad Q. fr. I, 1, 13, 39.

XXVIII, 4, 26 = de am. 21, 79.

Breviores autem locos Ammianus memoriter laudavit, quo factum est, ut collocationem verborum vel verba ipsa mutaret:

XXVII, 9, 10 in examinandis
vero litibus id impetravit, quod

*) conf. Valesii adn. ad XXVIII, 4, 15.

**) conf. Valesii et Lindenbrogii adn. ad XIV, 9, 6.

†) conf. Valesii adn. ad XIV, 8, 3.

††) falso Wagnerus et Eyssenhardtius hunc Ammiani locum referri voluerunt ad de or. III, 46, 179.

laudando Brutum Tullius refert, ut cum nihil ad gratiam faceret, omnia tamen grata viderentur esse, quae factitabat.

XXIX, 5, 24 agebat autem Tullianum illud advertens, quod salutaris vigor vincit inanem speciem clementiae.

or. 10, 34 itaque efficit, ut cum gratiae causa nihil facias, omnia tamen sint grata, quae facis.

ad Brut. I, 2, 5 salutaris severitas vincit inanem speciem clementiae.

Similiter congruunt inter se Amm. XXVI, 9, 11 et de fin. V, 30, 92 (cf. Tusc III, 15, 31) Amm. XXVII, 4, 8 et Acad. II, 38, 119.

Inde efficitur, quomodo ei loci sint distinguendi, qui ad libros Ciceronis pertinent vetustatis incuria absumptos; neque recte existimo Baiterum uncis inclusisse fragmentum libro cuidam de republica vulgo adscriptum et ab Ammiano nobis servatum XV, 5, 23, quod falso retulit ad orationes p. red. ad Q. 1, 2 et de domo 32, 86. Quamquam enim similia ibi inveniuntur, tamen ob eam, quam supra dixi causam Ciceronis verba ipsa hic afferri apparet.

Alii loci Tulliani ad verbum exscripti servati sunt XXI, 16, 13. XXX, 4, 10. 8, 7. memoriter allati: XV, 12, 4. XIX, 12, 18. XXII, 15, 24. XXVI, 1, 2. XXX, 4, 7. XXXI, 14, 8.

Hactenus de locis, quibus Ammianus nomen Ciceronis adscripsit. Alio loco Ammianus Cicerone ita usus est, ut, quod apud eum duobus legerat locis, in unum confunderet. Quamobrem Ciceronis nomen adscribere noluit, sed „sapientium“ se afferre dictum profitetur. conferas

XXVI, 2, 9 { ad Q. fr. I, 1, 6, 18.
de am. 22, 85.

Videamus nunc, quae sint ea, quae ex Tullii scriptis hauserit Ammianus. *) Cautissime nobis progrediendum est in iis rebus, quae ad historiam pertinent. Tum demum haec Ammiani studiis Ciceronianis tribuenda esse concedemus, cum etiam forma et structura verborum similitudinem quandam praeseferant cum locis Tullianis. Itaque, quod Ammianus XIV, 10, 30

*) Cum jam ab iis, qui Ammiani libros ediderunt, viris doctis, imprimis Valesio, Lindembrogio, Gronovio, Wagnero aliquotiens collati sint loci Ciceronis cum locis Ammianeis, ne longus sim, nomen ejus adscribam, qui primus locos comparavit.

memorat Dionysium Corinthi ludo litterario praefuisse, non mutuatus est, a Cicerone (Tusc. III, 12, 27) neque XVI, 8, 10, ubi de ejusdem tyranni timore disserens filias eum docuisse tondere lectumque alta fossa circumdedisse narrat, Ciceronis librum in animo habuit. Eadem enim cum ab aliis tum a Valerio Maximo (VI, 9 ext. 6. IX, 13, 4) didicerat, ex quo saepissime hausit et hoc loco hausisse videtur, quod ea, quae Cicero duobus locis separatim (Tusc. V, 30, 59 de off. II, 7, 25) tradit, eodem modo atque Valerius uno loco narrat. Idem fere dicendum est de iis, quae Ammianus narrat XV, 11, 14 de fide Massiliensium, XXII, 16, 22 de legibus Romanis, XXV, 4, 2 de Sophoclis temperantia, XXVI, 3, 5 de Duillio, XXIX, 2, 5 de Dionysii tyranni convivis, quaeque apud Ciceronem leguntur: Phil XIII, 15, 32 de leg. II, 23, 59. de sen. 13, 47 ib. 14, 44. Tusc. V, 21, 61. Contra sine dubio locorum meminit Tullianorum, cum verba faceret de morte Africani, de Gallis subactis, de Regulo, de Demosthene, de servis in dominos quaerendis. Conferas

XXV, 10, 13 cumque huic (sc Joviano) et Aemiliano Scipioni vitae exitus similis evenisset, super neutrius morte quaestionem comperimus agitatam.

XV, 12, 5 Hae regiones (sc. Galliae) praecipue, quae confinis Italicis paulatim levi sudore sub imperium venere Romanum . . .

XIV, 11, 32 eadem (sc. fortuna) . . . substravit feritati Carthaginis Regulum . . .

XXX, 4, 5 ut Demosthenes, quo dicturo concursus audiendi causa ex tota Graecia fieri solitos monumentis Atticis continetur.

XXVIII, 1, 55 mancipia squalore diuturno marcentia in

p. Mil. 7, 16 num igitur ulla quaestio de Africani morte lata est? (Valesius.)

p. Font. 5, 12 qui (sc. Galli) cum ipso M. Fontejo ferrum ac manus contulerunt multoque ejus sudore ac labore sub populi Romani imperium dicionemque ceciderunt.

de nat. d. III, 32, 80 cur Poenorum crudelitati Reguli corpus est praebitum?

Brut. 84, 289 . . . necesse fuisse, cum Demosthenes dicturus esset, ut concursus audiendi causa ex tota Graecia fierent. (Valesius) cf. de opt. gen. or. 7, 22.

de part. or. 24, 118 . . . de nostrorum etiam prudentis-

domini caput ad usque ultimum
lacerabat exitium, quod in stu-
pri quaestione fieri vetuere cle-
mentissimae leges.

simorum hominum institutis,
qui, cum in dominos de servis
quaeri nolissent, tamen de
incestu et conjuratione

quaerendum putaverunt.

p. Mil, 22, 59 [de servis nulla
lege quaestio est in dominum,
nisi de incestu.] (Lindenbrogius.)

Maxime Ammianus Ciceronis sapientiam admiratus prae-
cepta institutaque philosophiae ab eo tradita animo suo impressit.
Quibus instructus lectores docere studet, et, quod illis tempori-
bus, quibus adulatio serpebat per plerosque scriptorum libros
summa laude dignum est, animo libero etiam in ipsum principem
summosque viros invehitur vitia eorum vehementissime castigans.

Imprimis, quae Cicero de officiis superiorum erga eos, quibus
imperant, praescripserat, memoria tenuit et, quod ille ad Q.
fr. I. 1, 8, 24 et de off. I. 25, 85 exponit, iis, qui praesunt aliis,
imperium sic esse gerendum, ut omnia referant ad oboedientium
salutem eorumque commodo serviant, Valentinianum neglexisse
queritur XXX, 8, 14 et XXIX, 2, 18. Idem dicentem facit
Julianum in oratione, quam paulo ante mortem eum habuisse
fingit XXV, 3, 18.

Multis laesae majestatis arcessitis et damnatis Constantis
vituperat crudelitatem et Ciceronem ei imitandum proponit
XIX, 12, 18: „Imitandus sit Tullius, cum parcere vel laedere
potuisset, ut ipse adfirmat, ignoscendi quaerens non puniendi
occasiones, quod iudicis lenti et considerati est proprium.“ (ex
frgm. editionis a Baitero et Kaysero institutae | vol. XI. p. 27 f. 11.)

Valentinianum quoque reprehendit, quod promptior ad no-
cendum fuisset et criminantibus aures adhibuisset XXVI, 10, 12
„sententiae illius Tullianae ignarus docentis infelices esse eos,
qui omnia sibi licere existimarent.“ (ex frgm. B. K. vol. XI
p. 140 f. 15.) Valentinianum forsitan ignorasse Ammianus ait
lenitudinem principum semper esse refugium miseris, mortemque
quasi ultimum remedium in adversis rebus majores statuisset;
„unde motum“ pergit XXX, 8, 7, „existimo Tullium praclare
pronuntiasset, cum defenderet Oppium: etenim multum posse ad
salutem alterius, honori multis; parum potuisse ad exitium,
probro nemini unquam fuit.“ (ex frgm. B. K. vol. XI p. 6 f. 5.)

Neque minus castigat crudelitatem praefectorum atque omnium, quibus judicia erant exercenda; et vehementer XXIX, 2, 12 reprehendit severitatem eorum, qui multos veneficiorum aliorumque criminum reos capitis damnaverant, praeceptum subjungens ex Tullii ad Quintum fratrem epistola petitem

XXIX, 2, 12 non reputante ad Q. fr. I, 1, 13, 57 . . . iracundiam; quod vitium cum in recte institutis ne cum inimicorum quidem incommotis in delicta convenit ruere voluntaria nihilque sit tam deforme quam ad ardua imperii supercilia etiam acerbitatem naturae adjungi. (Valesius)

Judices ut aequos et integros se praebeant, praecipit, et praefecto urbis aeternae — ut solet appellare Romam — objicit XXVIII, 1, 40 quod, cum a jure justitiaque discedens multos damnasset innocentes, tamen exoratus interdum noxiis aliquibus pepercisset, „quod prope vitium esse in hoc loco legitur apud Tullium: nam si inplacabilis iracundiae sunt, summa est acerbitas, sin autem exorabilis, summa levitas, quae tamen, ut in malis, acerbitati anteponenda est.“ (= ad Q. fr. I, 1, 13, 39.)

Probo praefecto in ceteris laudando crimini dat XXVII, 11, 4, quod perversa animadverterit ratione in servos et clientes: „nunquam . . . clienti vel servo agere quicquam jussit illicitum, sed si eorum quemquam crimen ullum conpererat admisisse, vel ipsa repugnante justitia, non explorato negotio sine respectu boni honestique defendebat, quod vitium reprehendens ita pronuntiat Cicero, quid enim interest inter suasorem facti et probatorem? aut quid refert, utrum voluerim fieri an gaudeam factum?“ (= Phil. II, 12, 29.)

Contra Praetextatum praefectum summa laude effert XXVII, 7, 10 eumque in examinandis litibus id impetravisse praedicat, „quod laudando Brutum Tullius refert, ut, cum nihil ad gratiam faceret, omnia tamen grata viderentur esse, quae factitabat.“ (= or. 10, 34.) Quamquam autem Ammianus animo benigno et clementi in reos consulendum esse censet, clementiam mansuetudinemque non adhiberi vult in proditores et desertores, eamque ob causam XXIX, 5, 24 Theodosium praedicat ducem,

quod perugas militibus occidendos dederit: „Tullianum illud advertens, quod salutaris vigor vincit inanem speciem clementiae.“ (= ad Brut. I, 2, 5.)

XXX, 4 Ammianus de proposito digrediens exponit, quanta fuerint indignitate advocati in oriente maximeque in eos invectus, qui malis artibus iudicum fidem capere studeant, ita pergit XXX, 4, 10 „horum obstinatione libertatem temeritas, constantiam audacia praeceps, eloquentiam inanis quaedam imitatur fluentia loquendi: quarum artium scaevitate, ut Tullius adseverat, nefas est religionem decipi iudicantis. ait enim, cumque nihil tam incorruptum esse debeat in republica, quam suffragium, quam sententia, non intelligo, cur, qui ea pecunia corruerit, poena dignus sit, qui eloquentia, laudem etiam ferat. mihi quidem hoc plus mali facere videtur, qui oratione quam qui pretio iudicem corrumpit, quod pecunia corrumpere prudentem nemo potest, dicendo potest!“ (ex frgm. de rep. V, 9, 11.)

Deinde Ammianus ex Ciceronis libris hausit quaedam de eligendis amicis praecepta, et, ut vehementer eos vituperat, qui etiam in amicitia omnia ad suam referant utilitatem, (XXVIII, 6, 24 = de am. 21, 79) ita imperatores ante ceteros cautissimos esse debere dicit in eligendis amicis. Valentinianum ad principis dignitatem provectum orationem facit habentem, in quam inserit praeceptum ex Ciceronis libro de amicitia petiitum, quocum confundit locum epistolae ad Quintum fratrem scripta e

XXVI, 2, 9. ut enim sapientes definiunt, non modo in imperio, ubi pericula maxima sunt et creberrima, verum etiam in privatis cottidianisque rationibus, cum iudicaverit quisquam prudens, adjungere sibi debet, non cum adjunxerit, iudicare. conf. XXVIII, 8, 14.

ad Q. fr. I, 1, 6, 18 . . . quae cum honesta sint in his privatis nostris cotidianisque rationibus, in tanto imperio . . . divina videantur necesse est. (Valesius) de am. 22, 85 quocirca . . . cum iudicaris diligere oportet non, cum dilexeris, iudicare. (Lindenbrogius)

Quod Cicero in libro de republica sexto dicit sapienti conscientiam ipsam recte factorum praemium esse debere, non stultas aliosque honores, Ammianus quoque imitatur:

XIV, 6, 8 ex his quidam aeternitati se commendari posse

de rep. VI, 8, sed quam sapientibus conscientia

per statuas aestimantes, eas ardentem adfectant, quasi plus praemii de figmentis aereis sensibus carentibus adepturi, quam ex conscientia honeste recteque factorum.

ipsa factorum egregiorum amplissimum virtutis est praemium, tamen illa divina virtus non statuas plumbo inhaerentis nec triumphos arescentibus laureis, sed stabiliora quaedam et viridiora praemiorum genera desiderat. (Lindenbrogius) conf. Phil. V, 13, 35 (idem).

Miram confusionem Ammianus efficit in iis, quae apud Ciceronem de virtutibus legerat. Is enim cum in libro de virtutibus, tum de off. I, 5, 15 quattuor virtutes esse dixerat: prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam et deinde de iis disputaverat virtutibus, quae cum his essent conjunctae. Ammianus, cujus animo haec observantur XXV, 4, 1, primum recte enumerat, quattuor virtutes; deinde vero, cum addere velit, quae cum his cohaereant, memoria incidit in alium locum: de imp. Cn. P. 10, 24. ubi Cicero dicit, quattuor esse res, quibus bonus imperator excellere debeat: scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem; et quoniam intelligit vocem „virtutem“ hoc loco recte dici non posse, addit „liberalitatem“, quam Cicero cum justitia conjunctam esse dicit de off. I, 7, 10; itaque scribit: „cum enim sint, ut sapientes definiunt, virtutes quattuor praecipuae, temperantia, prudentia, justitia, fortitudo, eisque accidentes extrinsecus aliae, scientia rei militaris, auctoritas, felicitas, atque liberalitas . . . “

Alio loco Ammianus dicto Ciceronis utitur ad confirmandam sententiam suam de arte vaticinandi, quam contra plebem defendit. Hic quoque duos locos Tullianos ita confundit, ut dictum ipsum ex libro de natura deorum secundo, verba vero antecedentia ex Tusculanarum disputationum libro afferat. Conferas:

XXI, 1, 13 . . . sufficet dici, quod et grammaticus locutus interdum est barbare et absurde cecinit musicus, et ignoravit remedium medicus et non ideo nec grammatica nec musica nec medicina subsistit, unde

Tusc. II, 4, 12 ut enim si grammaticum se professus quispiam barbare loquatur, aut si absurde canat is, qui se haberi velit musicum.

praeclare hoc quoque ut alia
 Tullius, signa ostenduntur; de nat. d. II, 4, 12 signa
 ait, „a dis rerum futurarum; ostenduntur a dis rerum futu-
 in his, si qui erraverit, non rarum; in his si qui erraverit,
 deorum natura, sed hominum non deorum natura sed homi-
 conjectura peccavit“ num conjectura peccavit. conf.
 de leg. II, 13, 32.

Restant quattuor loci Tulliani ab Ammiano laudati, qui adeo non cohaereant cum narratione continua, ut non ad sententiam firmandam allati, sed solum doctrinae ostentandae causa arcessiti esse facile intellegantur: XXII, 7, 3 Julianum Ammianus vituperat, quod nimius fuerit captator gloriae inanis „praeclarique illius dicti immemor Tulliani, quo tales notando ita relatum, ipsi illi philosophi etiam in his libris, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt, ut in eo ipso, quo praedicationem nobilitatemque despiciunt, praedicari de se ac se nominari velint.“ (= p. Arch. 11, 26 cf. Tusc. I, 15, 34.)

Sibi ipsi misso cum Ursicino ad opprimendam Silvani seditionem summo in periculo sententiam Tullianam solacio fuisse Ammianus confitetur XV, 5, 23: „mirabamur illam sententiam Tullianam ex internis veritatis ipsius promulgatam, quae est talis: „et quamquam optatissimum est perpetuo fortunam quam florentissimam permanere, tamen illa aequabilitas*) vitae non tantum habet sensum, quantum cum ex saevis et perditis rebus ad meliorem statum fortuna revocatur.“ (fragm. incertum ad librum quendam de rep. vulgo relatum.)

De Isauris incursionibus agros vastare Romanos solitis XIV, 2, 2 haec dicit: „atque, ut Tullius ait, ut etiam bestiae fame monitae plerumque ad eum locum, ubi aliquando pastae sunt, revertuntur. . . “ (p. Cluent. 25, 67.)

Julianum imperatorem XVI, 1, 5 his effert laudibus: „et quoniam, ut Tulliana docet auctoritas, omnium magnarum artium sicut arborum altitudo nos delectat, radices stirpesque non item“ (= or. 43, 147) sic praeclaræ hujus indolis rudimenta tunc

*) sic vulgo legitur. Eysenhardtus: „aequalitas.“

multis obnubilantibus tegebantur, quae anteferri gestis ejus postea multis et miris . . . deberent.“

Reliquae sententiae, quas Ammianus ex Ciceronis hausit scriptis nomine auctoris non addito hae sunt:

XV, 1, 4 quod, ut docent Tusc. I, 17, 40 persuadent
mathematici concinentes, ambi enim mathematici . . . terram
tus terrae totius, quae nobis in medio mundo sitam ad uni-
videtur immensa ad magnitu- versi caeli complexum quasi
dinem universitatis instar bre- puncti instar obtinere.
vis optinet puncti

XX, 3, 12 terra . . . rerum
magnitudini instar exigua sub-
dita puncti

XVII, 5, 7 . . . hocque bestias
factitare, quae cum advertant,
cur maximo opere capiantur,
illud propria sponte amittunt,
ut vivere deinde possint im-
pavidae.

XXIII, 1, 7, cum irruenti-
bus armis externis lex una sit
et perpetua salutem omni rati-
one defendere.

XX, 8, 11 adulatione vitio-
rum altrice

XV, 5, 38 quae res (sc. adu-
latio) pernicioosa vitiorum est
altrix.

XXVIII, 1, 39 sic agebatur,
ut nec in alienis malis quorun-
dam exarescerent lacrimae, quod
in variis confragosisque actibus
vitae plerumque contingit.

XXIX, 2, 18. O praeclara
informatio doctrinarum, quae vel

p. Scauro 2, 9 quemadmodum
castores redimunt se ea parte
corporis, propter quam maxime
expetuntur. (Valesius.)

p. Mil. 4, 10. est haec non
scripta sed nata lex . . . , ut, si
vita nostra in aliquas insidias,
si in vim et in tela aut latro-
num aut inimicorum incidisset,
omnis honesta ratio esset expe-
diendae salutis. (Lindenbrogius.)

de am. 24, 89 adsentatio vi-
tiorum adjuatrix.

de part or. 17, 57 cito enim
exarescit lacrima, praesertim in
alienis malis.

ad Q. fr. I, 1, 2, 7 adhibita
doctrina, quae vel vitiosissi-

vitiosas naturas saepe excoluisti.

XXX, 8, 10. sciens pleraque vitiorum imitari solere virtutes.

XXX, 8, 1. nunc confisi, quod nec metu nec adulandi foeditate constricta posteritas incorrupta praeteritorum solet esse spectatrix.

mam naturam excolere possit.

de part. or. 23, 81 . . . ne fallant ea nos vitia, quae virtutem videntur imitari. (conf. ea, quae sequuntur.)

p. Marc. 9, 29. servi igitur etiam eis iudicibus, qui multis post saeculis de te iudicabunt et quidem haud scio an incorruptius, quam nos; nam et sine amore et sine cupiditate et rursus sine odio et sine invidia iudicabunt.

Absolutis eis rebus, quarum cognitionem Ammianus ex Ciceronis libris hausit, transeamus ad alteram partem et videamus, quanta utilitas redundaverit ex perpolita et eleganti Tullii ratione scribendi in Ammiani sermonem.

Omnes fere non injuria contortam et inflatam rationem narandi, qua Ammianus usus est, vehementissime vituperaverunt. Sunt vero causae nonnullae, quae, ut minus severum iudicium exerceamus, nos impellant. Ac primum quidem venia ei danda est, quod latine scripsit, quamquam erat Graecus; itaque non intellexit, quidnam purae et simplicis linguae latinae esset proprium et, quo, majores verborum essent ambitus, eo pulchriorem narrationem esse credidit. Deinde ne obliviscamur, quod Libanii rhetoris constat testimonio*) Ammianum recitasse coram amicis doctisque hominibus singulas operis partes eamque ob causam studuisse, ut rhetorico quodam colore afficeret orationem. Certe non dubitandum est, quin Ammianus in ea fuerit opinione se ornate et eleganter res Romanas narrare. Quod cum verborum ambagibus tum eo maxime impetrare studebat, ut, quae in variis scriptorum libris lecta memoria tenebat, quasi flores orationi intermiseret. Frustra vero conaberis rationem et consilium intelligere, quibus Ammianus usus sit in

*) ep. 983.

imitandis aliorum auctōrum verbis: flosculos modo recte exhibet, modo cum suis verbis permiscet, modo mutat, ut dubitari nequeat, quin memoriter omnes protulerit. Cave vero credas Ammianum omnibus locis consulto adhibuisse verba in aliorum libris lecta; fieri enim non potuit, quin is, qui aegre*) scribe- ret linguam latinam, non proprio uteretur sermone, sed etiam ignarus ea proferret, quae apud alios legerat. Cum Ammianus praeter Ciceronem etiam Vergilium, Sallustium, Tacitum aliosque imitatus sit, quid cuique debeat, difficile saepe est dijudicatu, et quaerentibus nobis, quae ex Tullii sermone sua fecerit, ea praecipue erunt afferenda, quae illius propria nec cum aliis communia sunt.

Ammianum Ciceronis prae ceteris orationem admiratum esse eo intelligimus loco, ubi Modesti praefecti praetorio reddit mentionem. Cum enim narrare velit Modestum cum aliis rebus tum eo imperatori blanditum esse, quod rudem ejus sermonem ut elegantem laudaverit, suo more ita loquitur XXIX, 1, 11 . . . Valentem subrusticum hominem sibi varie commulcebat, horridula ejus verba et rudia flosculos Tullianos appellans.

Singula quae Ammianus ex Ciceronis libris desumpsit, nunc ita enumerabo, ut quam maxime ordinem sequar librorum Ciceronis, quo facilius simul intellegi possit, quanto studio singulos perlegerit.

A. Libri, qui ad artem pertinent rhetoricam.

Nulla vestigia in Ammiani sermone indagare potui libelli ,de optimo genere oratorum' et ,topicorum ad C. Trebatium.' Etiam ,de inventione libros' duos Ammianus neglexisse videtur. Quod enim bis (XIV, 10, 13; XXI, 16, 18) dicit „absolutus et simplex," quae conjuncta leguntur de inv. II, 57, 171 minora sunt, quam ut inde certi quidquam colligi possit. Accedit, quod eadem verba Macrobio auctore in libro de republica (VI, 7)

*) non raro paternum sermonem ad verbum in Romanum transfert: quod Thucydides V, 9 scribit „κλέμματα τοῦ πολέμου“ „furta bellorum“ dicit XXIII, 3, 9. Homericum illud „μικρὰ βιβίς“ imitatur XXII, 14, 3 „grandia incedens.“ Similiter graecum redolent sermonem XXVII, 12, 7 „ut lateant id temptantes," XXX, 7, 6 „ne latere unquam hostis ad nostra se propriens possit.“

conjuncta fuisse videntur, quem librum, ut postea videbimus Ammianus majore tractavit diligentia. Reliquis vero libris, qui ad rhetoricen pertinent, valde delectatus est, quamquam ‚Oratoris‘ solius duos locos ita laudavit, ut nomen adderet auctoris. Tres sententias, cum, ut supra. docui (p. 8, 14, 15) mutuatus sit ex libello de partitione oratoria, hunc praecipue in deliciis habuisse videtur. Conferas*)

de oratore libri III.

I, 1, 3 in his vel asperitatibus rerum vel angustiis temporis.

I, 5, 17 verborum volubilitas inanis atque inridenda
cf. p. Planc. 25, 62 linguae volubilitas.

I, 13, 57 ut de his rebus omnibus in angulis consumendi otii causa disserant. (Kiessling, ann. phil. 1874 p. 481 sq.) cf. p. Balbo 6, 15 (p. 28) p. Flacco 2, 5.

I, 35, 162 quasi per transennam praetereuntes

II, 18, 76 cum populo Romano omnium gentium victore

Ammianus.

XXIV, 5, 12. consideratis asperitatibus ante gestarum rerum et impendentium.

XVIII, 6, 22 ad tolerandam rerum asperitatem.

XVII, 9, 3 quidam inter armatos verborum volubilitate conspicui.

XXV, 3, 17 cum in umbra et angulis amendarer.**)

XX, 11, 22 Persas, tamquam per transennam a clivis structilibus decurrentes.

XXV, 6, 14 tamquam e transenna simul emissi.

XX, 7, 3 hortabatur, ut . . . victori gentium semet of-

*) Quo magis perspicuum sit, quae ex singulis Ciceronis libris Ammianus hauserit, hic eos quoque adjeci locos, quibus sententias desumptas esse supra docui et majoribus litteris eos jussi depingi, quibus auctoris nomen addidit.

**) sic scribendum esse Kiessling conjecit in ann. phil. a. 1871 p. 481 sq. Wagnerus scripsit „in umbram et angulos,“ Eyssenhardtius „in umbram et angustias.“

ferrent. conf. in Pis. 7, 15; Phil.
IV, 6, 16; p. Planc. 4, 11

II, 25, 107 quae quidem sunt
criminum plerumque infitiatione defenduntur.

II, 30, 131 studio et diligencia praecurrit aetatem

II, 39, 162 eandem incudem diem noctemque tundentibus. (Wagnerus)

II, 46, 199 sine quodam adflatu quasi furoris.

II, 87, 355 ut illi non infundere in auris tuas orationem sed in animo videantur inscribere.

III, 5, 17 inclinatio jam in pomeridianum tempus die.

III, 30, 121 non solum acuta neque procudenda lingua est. conf. Brut. 97, 133.

III, 30, 121 omnem terram in his discendis rebus aetatem. vid. deleg. I, 10, 53 (p. 38.)

XVIII, 14 cum infitiatione defenderet objecta.

XVI, 12, 25 efficacia praecurrens aetatem.

XVIII, 4, 2 Comitatus fabrica eandem incudem, ut dicitur, diu noctemque tundendo.

XXVIII, 4, 26 ut proverbium loquitur vetus, eandem incudem diu noctemque tundendo.

XXVII, 6, 1 quasi adflatu quodam furoris.

XVI, 12, 4 velut quodam furoris adfectu*)

XIV, 9, 2 si quid auribus ejus hujusmodi quis infudisset ignotus.

XV, 3, 5 patulis imperatoris auribus infundebat.

XV, 5, 17 ad occasum inclinatio jam die.

XXXI, 16, 9 pro cedere linguas ad majores moneo stilos.

XXX, 4, 13 ad expugnandam veritatem ora mercennaria procudentes.

XXX, 2, 16 ora exacuere letalia.

XIV, 6, 13 aetatem omnem frustra in stipite conteres summittendo, cf. XX, 8, 7.

*) M. Hertz, praeceptor amplissimus hic quoque „adflatu“ legendum esse suspicatus est.

III, 52, 199 his tribus figuris insidere quidam venustatis non fuco inlitus, sed sanguine diffusus debet color.

de claris oratoribus liber,
qui dicitur Brutus:

12, 46 (Siculi) quod esset acuta illa gens et controversa natura (Haupt, ind. lectt. Berol. aest. 1868 p. 10)

21, 93 cum haec dixissem et paulum interquievissem

25, 97 Cassius . . . ipsa tristitia et severitate popularis. cf. p. Rosc. Am. 30, 85 (p. 21).

33, 126 non solum acuere sed etiam alere ingenium. conf. de or. III, 30, 121 (p. 18) Phil. II, 17, 42; de or. III, 24, 93.

49, 181 de quibus nulla monumenta loquuntur. cf. de domo 32, 86 ut annales populi Romani et monumenta loquuntur.

84, 289

cf. de opt. gen. or. 7, 22.

Orator.

1, 5 nec vero Aristotelem in philosophia deterruit ascribendo amplitudo Platonis.

8, 25 eorum religioni cum serviret orator.

XXVI, 10, 10 et Catonianae vel Cassianae sententiae fuco perliti resident iudices.

XXII, 6, 1 Aegyptii . . . genus hominum controversum
XXII, 6, 23 Aegypti controversi et repositos acerimi.

XX, 5, 2 cumque interquievisset paululum.

XXII, 9, 9 iudicibus Cassiis tristior et Lycurgis.

XV, 2, 8 procudendi ingenii causa.

XVI, 5, 6 ad procudendum ingenium.

XXII, 6, 13 ut loquitur monumentorum veterum concinens fides.

XXX, 4, 5 (vid. p. 8).

XXX, 4, 3 . . . definit amplitudo Platonis.

XXII, 5, 3 ut quisque nullo vetante religioni suae serviret intrepidus.

10, 34	XXVII, 9, 10 vid. p. 7
34, 119 rem dignam auri-	XXII, 16, 16 Didymus . .
bus eruditus cf. de rep. II,	judicio doctarum aurium
42, 69	incusatur.
43, 147	XVI, 1, 5 vid. p. 13

de partitione oratoria.

dialogus.

17, 57	XXVIII, 1, 39 vid. p. 15
23, 81	XXX, 8, 10 vid. p. 15
34, 118	XXVIII, 1, 55 vid. p. 8

B. Orationes.

Inprimis Ammianus delectatus est orationibus pro Cluentio et in Verrem habitis. Priorem quantopere sit admiratus, indicat, ubi a proposito digrediens de pravitate advocatorum sua aetate disputat, quorum de loquacitate et inani jactantia haec dicit: XXX, 4, 19 „tandemque ex praemeditato concludio per eum, (sc. advocatum) qui est in verba fidentior, suave quoddam principium exeritur, Cluentianae vel pro Ctesiphonte orationum aemula ornamenta promittens.“ Orationis in Verrem scriptae ita reddit mentionem, ut delatores laesae majestatis conferat cum Cibratis Verrinis: XV, 3, 3 „unde rumorum aucupes subito extitere complures, honorum vertices ipsos ferinis morsibus adpetentes posteaque pauperes et divites indiscrete; non ut Cibratae illi Verrini tribunal unius legati lambentes, sed reipublicae membra totius per incidentia mala vexantes.“ Scaurianam quoque memorat XXI, 15, 24: „in aedilitate Scauri . . . patris illius Scauri, quem defendens Tullius imperat Sardis, ut de familia nobili ipsi quoque cum orbis terrarum auctoritate sentirent.“

Nominatim landati sunt loci Tulliani ex orationibus pro Cluentio, pro M. Fontejo, in M. Antonium, pro Archia poëta, habitis; sententiae depromptae sunt nomine auctoris non addito ex orationibus pro Fontejo, de imperio Cn. Pompeji, p. M. Aemilio Scauro, pro Milone, pro Marcello habitis.

Minus diligenter perlegisse aut omnino neglexisse Ammianus videtur orationes:

pro P. Quinctio
 in Verrem actionem I
 pro M. Tullio
 III de lege agraria contra P. Servilium Rullum
 pro L. Flacco
 post reditum in senatu
 de domo sua ad pontifices
 de haruspicum responso
 in Vatinius testem interrogationem
 pro Plancio
 pro C. Rabirio postumo
 pro Q. Ligario

habitas, quarum fere nulla vestigia in iis qui supersunt libris
 deprehendere potui.

Ex reliquis orationibus, quae sua fecerit, haec doceat
 tabula:

pro S. Roscio Amerino

Ammianus

22, 61 . . quod putares hic
 latrocinium non iudicium
 futurum.

XIV, 9, 5 latrocinium il-
 lud non iudicium clamans.

30, 85 vel apud Cassianos
 iudices vid. Verr. III, 62, 146
 (p. 23.)

XXVI, 10, 10 Catonianae vel
 Cassianae sententiae fuco per-
 liti resident iudices.

pro Q. Roscio comoedo

4, 11 quid est in iudicio?
